



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ad annum Christi 1563

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118618

§. 81. Viterbiensis Episcopus Roma Tridentum veniens.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66653](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66653)

Sæcul. XVI.
A.C. 1563.

posuit, quod ejus præsentia in Polonia oppido necessaria foret, ut populus in Sedis Apostolicæ obsequio contineri posset, proin ibidem magis, quam in Synodo Ecclesiæ utilis esset, cum aliunde sibi a suo Capitulo nuntiatum fuisset, quod tumultus, nisi brevi sopirentur, in ejus Diæcesi tantopere invalescerent, ut illis haud ultra remedium opponi valeret, atque mulieri, quæ sub utraque specie communionem sub vitæ suæ finem accepisset, Ecclesiastica sepultura fuerit denegata, & quivis impune tumultuaretur, cum tanta populi offensione, ut necessitas urgeat, absque ulla mora tot succurrendi animabus, quæ omni ferme momento æternæ suæ salutis periculo expositæ ingemiscunt, præcipue cum alium quemcunque eo decernere minus conveniat, quam ipsum hujus gregis Pastorem, ut vero hic majori polleret auctoritate, consultum credebatur, si Legati Apostolici dignitate insigniretur; verum Pontifex longe aliter censebat, quapropter Osius Tridenti persistere cogeatur.

§. LXXXI.

Viterbiensis Episcopus Roma Tridentum veniens.

Interea Gualterius Viterbiensis Episcopus Roma redux die quinta Martii Tridentum

Pallav. l. 20.
c. 6. n. 7.

Sæcul. XVI
A.C. 1563.

*Lett. de
Viscont. t. 1.
Lett. 22.
pag. 101.*

Tridentum venit, atque inter primas curas habuit, ut Lotharingium Cardinalem visum iret, quem tamen mœrore oppressum repererat, accepto nuntio, quod Guisus Dux ejus Frater prope Aureliam graviter sauciatus fuisset a quodam milite, qui se illi collocuturum simulans sclopetum suum in illum exonerabat. Hujus fati dolor tantopere Lotharingii animum occupaverat, ut illis, quæ Viterbiensis Episcopus ei proposuerat, parum attentas aures præberet, quapropter postea suam mentis perturbationem apud Gualterium per alium Virum excusabat.

§. LXXXII.

Cardinalis Lotharingius Guisus Ducem Aureliæ fuisse occisum edoctus.

*Pallav. c. 6.
n. 8. & 9.
Visconti
pag. 119.
Ray3. l. c.
n. 50. & 54.*

Aliquot diebus postea Lotharingius ejusdem fratris sui mortem compererat, quo nuntio animi sui molli-tia plurimum augebatur, atque in extremum mœrorem conjiciebatur: mox tamen in genua procumbens, atque inter crebras lacrimas ad Deum conversus dixit: *Domine fontem fratrem in vita reliquisti, & in fontem abstulisti.* Non destitit Gualterius eum certum reddere, Pontificem suam omnem aucto-ritatem